1724. VIRO CELEBERRIMO 1 192

THEOPHILO SIGEFRIDO BAYERO

S. P. P.

Christian. Sigism. Liebe. 1687 + 1763

Nefas fuerit, responsum ad suavissimas litteras TUAS, prid. Id.
Decembr. superiori anno datas, sed praeterlapso nuper Martio mense
ad me demum perlatas diutius differre, aut committere, ut non
tam gratas fuisse existimare fortasse posses, quam reapse fuerunt.
Nam certe nihil illis gratius accidere potuit mihi ex remotissima
Europae cultioris eaque florentissima Musarum sede a viro longe am-
icissimo, cuius memoriam, doctissimarum lucubrationum editione
subinde adhuc renovatam saepiusque, ut spes est, porro renovan-
dam ut sanctissime huc usque colui, ita nulla unquam oblivione,
dum mei ipsemet ero memor, patiar deleri. Quod nondum vidisti
quae de antiquis numis Gothani musei publici iuris fecerunt Wet-
stenii Amstelodamenses, non nimis aegre fero. Verendum enim mihi,
ne lectio operis sub initium novi muneris effusi verius quam ita
ut par erat, elaborati famam opinionemque de eo conceptam TUAM,
haud parum imminuat. Mihi certe vix ulla eius pagina satisfacit per
omnia, quod si serio a me dici non putaveris, quamquam de candore
meo addubitare unquam potuisti, AMICISSIME BAYERE. Faxo, id
intelligas in altera eius, quam pridem meditor, editione, quae, si DEUS
vitam concesserit viresque, una cum nova de recentioribus musei
nostri numis lucubratione a me in lucem aliquando proferetur.

1v

Non deesse Petropoli, qui numorum, inprimis veterum studio dele-
ctentur, eosque summa dignitate viros, cuiusmodi excellentissimus
comes Bruceus, cuius museum laudas, magna cum voluptate intellexi.
Eucratidis, Bactriani regis nummum, antiquariis adhuc non visum,
doctissimisq. observationibus TUIS illustratum ubi Belgae ediderint,
nihil mihi prius, nihil antiquius erit, quam ut exemplum lucu-
brationis TUAE primo quoque tempore mihi afferendum curem.
Quod ad numum Hypsicrateae attinet, videndum TIBI erit, nisi
id iam factum a TE, quod puto, an sit is, cuius effigiem Reinerus
Reineccius exhibet, Syntagm. T. III. p. 133. Aduersa eius in parte caput
muliebre cum litteris: ΥΨΙΚΡΑΤΕΙΑ ΒΑΣΙΛΙΣ. in auersa ante ianuam
templi sacrificium, cui quatuor homines intersunt. Infra: ΤΥΧΗ. Hunc
numum spurium esse, non puto TE fugiet, quippe cuius auersa pagina
aptata quoque est numo Olympiae reginae adulterino, quem Gaza nostra
inter alios eiusdem furfuris ac notae, peculiari loculo conclusos, asser-
uat. Sed ab hoc diuersus haud dubie TUUS, et probe omnino comma-
tis, unde optime mereberis de his studiis, si eum produxeris. Gra-
tulor vero TIBI felicitatem singularem, qua tot TIBI recondita
antiquitatis monumenta spectanda, ac vili saepe pretio emenda
praebet. Non eadem sors nostra in his partibus: pauca enim rario-
ra afferuntur, et si quid occurrit nonnunquam, insanum fere ei pre-
tium statuitur. Buxbaumius, botanicus vester, quem in Saxonia agere
uno litterarum TUARUM indicio didici, utinam ad nos accederet, et
cimelia nostra spectare eaque occasione me docere, quid Constantino-

poti attulerit, ne gravaretur. Abgarorum numos aliquot gaza nostra servat, sed pridem vulgatos. De labore in illustranda historia Osrhoena a Te exantlato TIBI gratulor. Quae litteris de argumento hoc consignasti, tanto gratiora erunt orbi erudito, quod Ill. Spanhemius id tribus tantum verbis attigit. Vidistine, quae Kehrius, Doctor Arabicae linguae Lipsiensis, de numo longe maximo eorum, quos thesaurus noster complectitur, peculiari scripto commentatus est iam ante hos quatuor vel quinque annos? Mogolicus est, aliis viris doctis, Arabicae Persicaeve linguae non imperitis, tam difficilis intellectu visus, ut de interpretando eo prorsus desperarent. Kehrio contra omnia plana et expedita, qui tamen apud sibi haerere ingenue fatetur in explicandis numis, quorum ectypos charta exceptos madida transmitto, ut, si salvi atque incolumes ad Te pervenerint, quemadmodum spero, de iis sententiam mihi TUAM exponas. Inprimis scire pervelim, quid de primo TIBI videatur, cuius adversa pars capita duo sibi invicem opposita exhibet, altera figuras duas stantes, quarum ea, quae sinistrum locum occupat, nimbo cincta, alterius capiti tiara cincto dextram imponit. Similem typum habes in numis Constantinopolitanorum Imperatorum Romani Diogenis et Io. Comneni apud Ducangium p. 159. et 168. Sed longius, quam necesse est, provehitur epistola, fortasse non eadem felicitate, qua TUA in manus meas incidit, ad Te ex tam longo itinere perventura. Heu, quam vereor, ne si diutius illa iactetur, aut plane intercidat, virtutis TUAE atque amicitiae olim cultae immemorem me neque adeo dignum reputes, quem ulteriori benevolentia complectare. Sed Di meliora; operam modo ne nolis in futurum dare, ut sciam, ad quem vel Lipsiae, vel Hamburgi, vel Gedani litterae meae mittendae sint, ut tuto ad Te perferantur. Vale et me amare, TU vel ipso nominis auspicio amantissimum, perge. Dabam Gothae ex museo Fridesteinensi Id. April. CIↃIↃCCXXXI.